



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Novitiorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

giorum forsan reuocatoria minimè compræhensa beneficia militiæ, quam professi sum regularia obtinent, seu pensiones super quibus fructibus, redditibus, & prouentibus Ecclesiasticis, etiam prædictarum Ecclesiarum, & beneficiorum secularium, aut fructus ipsos sibi reuerentia percipiunt, aut obtinebunt, vel percipiunt, in futurum, siue clericali caractere insigniti sint, siue non sint, qui vero clerici sunt etiam ab initio tempore reservationis pensionum, seu fructuum huiusmodi regularem habitum nondum suscepimus, nec militijs officiorum Romanæ Curie adscripti fuerint, sed post factas eorum cuique reservationes ante, vel post publicationem præsentis constitutionis milites effecti extiterint, sub præcepto, & mandatis præfatis de habitu, & tonsura clericali deferendis, nolimus compræhendi, sed ipsi permittimus in regulari habitu militiæ, quam professi sunt, conuenienti, vel si ipsi milites Roman. Cur. officiales fuerint, qui pensiones, ac fructus, alianè prædia, aut bona Ecclesiastica, ex dispensatione, seu privilegio Apostolico percipiunt, habitum militari superscripto absque alicuius censuræ, vel pænæ Ecclesiasticæ incursu licitè uti valeant, & nihilominus, tam beneficia suæ militiæ regularia retineant, quam etiam pensiones super Ecclesiariis, & beneficiorum prædictorum, etiam secularium fructibus, seu bonis, vel fructus præfatos sibi pro tempore reuerentia percipiunt, non obstantibus &c.

Sed ut refert Nouarius in suo opusculo noui iuris Pontifici conclus. vnica, versic. postea vero, de vestibus clericibus: præfata Bulla Sixti V. fuit postea ab eodem Pontifice moderata, & declarata per aliam eiusdem Anni, prid. Kalend. Februarij, quæ est tenoris sequentis videlicet.

Pastores, & infra omnibus, & quibuscumque Clericis, tam in Romana Curia, quam extra eam ubilibet de gentium, & locorum constitutis, qui pensiones, fructus, aut prædia, vel bona Ecclesiastica, sibi in vias, vel pluribus vicibus reservata, & concessa, summam, seu valorem annuum 60. ducat. auri de Camera insimul non excedentes, seu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum; ac præterea nostris familiaribus nobis in quibusdam inferioribus ministerijs, quales sunt, qui à pedibus, seu parafrenarij mensæ dispositores, aut credentiarj, aut dispensatores vulgo dicuntur, & alijs similibus seruijs actu ministrantibus, qui in futurum inferuent, necnon quibusvis nostrorum inferuorum familiarium, actu nobis in Palatio nostro Apostolico inferuentium familiaribus continuis commensalibus, præsentibus, & futuris, qui pensiones, aut fructus bonanè Ecclesiastica loco pensionum, usque ad quancumque summam, & valorem nunc percipiunt, aut in posterum pro tempore percipient, ut ipsi, & eorum quilibet eo habitu impune, & licitè uti possint, quo sua munia promptius expeditiusque obire valeant, nec pænis eadem constitutione inflictis subiaceant: auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus. Reliquis autem nostris, aut personarum nobis inferuentium familiaribus continuis, commensalibus omnibus, & singulis alijs, tam clericis, quam militibus, beneficia fructuum, vel bonorum Ecclesiasticorum reservationes, ac pensiones obtinentibus, aut in ipsis beneficijs, vel ad ea ius habentibus in Vrbe præsentibus tempus quindecim dierum in dicta Constitut. præfixum, nec dum elapsum, ad alios quindecim dies à fine dicti primi termini computandos extendimus, & prorogamus, ac demum militibus, tam militiarum canonicè institutarum, quam Roman. Cur. officialibus, qui iuxta præfatum nostram Constit. in militari habitu incedere tenentur, ut vestibus communibus, cum insignibus tamen Crucis, aut Numismatis suæ militiæ proprijs uti valeant, atque hac ratione ipsius Constit. præcepto, vel plenè satisfacere censeantur, pariter indulgemus. Eos verò Clericos, aut milites quibus pensiones, aut fructus, bonanè, aut prædia Ecclesiastica ad quancumque summam reservata, aut reservari concessa sunt, vel post hac reservabuntur, non aliter ad gerendum

huiusmodi habitum teneri volumus, nisi post quam pensiones fructus, aut alia præfata cum effectu exigere, aut percipere cœperint, vel per eos steterit, quo minus exigant, vel percipiant. Decernentes, &c. De qua vide Nouarium Iuniorum in summa Bullar. verbo habitus Clericalis.

PRAXIS NOUITIORVM.

RESOLVT. CCXXXIX.

- 1 Ecclesiasticæ personæ quam dicantur.
- 2 Offendens Nouitios incidit in excommunicationem.
- 3 Nouitij gaudent fori privilegio, etiam quod non sint prima tonsura initiati. 4. & pro delicto commissio extra claustrum cognoscuntur à Superiore, num. 5.

Nouitius, An sit persona Ecclesiastica, itaut gaudeat privilegio fori, & Canonici; etiam si non sit prima tonsura initiatus.

- 1 Persona Ecclesiasticæ dicuntur non solum omnes Clerici, siue saculares, siue regulares Religiosi, ac Religiosæ, eorumque conuersi, & conuersæ in antiqua Religione approbata vota proficientes, ut in cap. ad monasterium de statu Monachorum, & in capitul. lex contineat 27. quæst. 1. sed etiam eorundem Nouitij, siue Clerici sint, siue conuersi, ut post alios latè probauit Nouarius in suo tractat. de elect. & variat. fori quæst. 46. sect. 2. in vltima impressione Neapolitana, & ideo gaudent privilegio Clericali, cum respectu
- 2 personæ, quoniam offendentes eos incidunt in excommunicationem contentam in cap. si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. ut est text. in cap. Religioso de sentent. excomm. in 6. tum etiam quoad forum in causis ciuilibus, & criminalibus infra annum probationis occurrentibus, quia cognoscuntur ab ipsiusmet Religionis Prælati, ut latè probat Nauar. d. consil. 58. de Regul. Bellug. in specul. princip. Rubric. 1. §. videndum num. 5. Decian. in tract. crimin. lib. 6. cap. 17. num. 9. Molin. de iustit. & iur. disp. 139. latè Grafs. in tract. de effectibus Clericatus effect. 1. num. 78. vbi alios adducit. Quod esse verum etiam quod Nouitius prima tonsura non sit initiatus putarunt Azor. institut. moral. lib. 12. cap. 3. quæst. 2. part. 1. Rodriq. quæst. Regul. part. 3. quæst. 51. artic. 12. Et Cened. Canonica. quæst. cap. 6. num. 41. & hinc à solo suo Prælati prouidentum esse, etiam pro homicidio, & quouis alio graui delicto scripserunt Abb. in cap. cum contigat nu. 21. de ætat. & qualitat. Marfil. singul. 534. Eugen. consil. 26. num. 10. Caualecan. decis. 11. par. 5. à num. 1. & pro delicto extra claustrum commissio pariter à suo Superiore cognosci debere firmat Nouar. lib. 1. quæst. forens. quæst. 42. num. 7. vbi allegat nos in decis. Curia Archiepisc. 121. part. 2.

RESOLVT. CCXXXX.

- 1 Nouitij veniunt appellatione Ecclesiasticorum.
- 2 Declara quoad fauores, & non quoad odia.
- 3 Canonici veniunt in fauorabilibus appellatione Clericorum.
- 4 Cardinales veniunt appellatione Clericorum.

Conclusio illa quod appellatione Ecclesiasticorum veniunt Nouitij, An procedat in odiosis, & fauorabilibus.

- 1 Passim omnes in ore habent quod Ecclesiasticorum appellatione veniunt Nouitij, ut per Hostiens. in c. statutus in verbo posse de Regular. Grafs. in

in tractat. de effect. Clericatus effect. 9. Farinac. in. pract. crimin. qu. 8. n. 46.

¶ Tamen id caute legendum est, quia hæc conclusio debet intelligi quoad fauores, & non quoad odia, vt tradiderunt Berrer. conf. 68. n. 5. Costa de retrotract. cap. 9. cas. 3. num. 24. Rodriq. quæst. regul. p. 1. quæst. 21. art. 11. Cened. canonic. quæst. cap. 4. nu. 41. Graff. conf. 22. nu. 25. lib. 5. Nouar. quæst. forens. 80. num. 7. lib. 1. quia odiosa sunt restringenda, & odia de reg. iur. in 6. & ideo appellatione Clericorum veniunt Canonici in fauorabilibus, non autem in odiosis. Nouar. in praxi elect. fori quæst. sect. 2. in vltima impress. Neapolit. & quando constitutio est fauorabilis sub nomine dignitatis comprehenduntur etiam Cardinales, & Episcopi. Glos. in cap. 2. de præbend. in 6. Barbat. in tract. de præstant. Cardin. quæst. 7. par. 1. Gomez. in. proem. reg. cancell. quæst. 4. in fine. Mandos. in regul. cancell. 32. quæst. 15. Simonett. de reservat. benefic. quæst. 11. sicut etiam in materia fauorabili, Cardinales veniunt appellatione Clericorum. Calder. in cap. in nostra de rescript. Troct. de perfectio Clerico, c. 7. num. 3. Bellet. disquisit. Clerical. par. 1. §. 2. n. 8. prout in materia odiosa non comprehenduntur sub generali constitutione, Felyn. in cap. super his de fide instrum. Io. Monach. n. cap. 1. de schismat. Oldrad. confil. 293. & ideo Cardinales non comprehenduntur sub censuris, quæ imponuntur transgressoribus Pontificiarum Constitutionum, nisi de illis fiat expressa mentio, vt asserunt Laudenf. de Cardinal. quæst. 62. Liceriet de primogen. quæst. 24. n. 32. lib. 1.

RESOLVT. CCXLI.

- 1 Nouitij ante professionem non sunt Religionis membra.
- 2 Nouitij priuilegijs Religionis gaudent.
- 3 Nouitij verè sunt de familia Monasterij.

Nouitij, An Religionis priuilegijs vtantur, & gaudeant.

¶ Quamuis Nouitij ante professionem non sint Religionis membra, & ideo infra probationis annum propriè, & verè non dicantur Religiosi, vt dicit Bart. in l. illa. C. de Sacrament. Baptism. reiter. Imol. in l. quoties in stipulationibus, & ibi etiam Angel. ff. de verb. oblig. & in l. si idem, vbi Paul. de Castro, ff. de iurisdic. omni. Iudic. Bald. in l. non solum in princip. ff. de excusat. tutor.

¶ Tamen Nouitij benè Religionis priuilegijs gaudent in multis, vt per Sayr. in Thesaur. cas. conscient. lib. 7. cap. 10. num. 6. vbi illis hoc vnum addit, quod dicit esse speciale in Societate Iesu, in qua, cum per tria vota simplicia facta post biennium probationis, iuxta ipsius Societatis constitutiones, verè, & propriè quis Religiosus efficiatur, & per ea tollitur irregularitas, non quidem iure communi, & antiquo, sed iure nouo, quo sic voventes, verè, & propriè Religiosi fiunt, vt patet ex peculiari Constitutione Gregorij XIII. quæ est 102. eiusdem in ordine, incip. Ascendente Domino, §. & quamuis edita Anno 1584. 8. Kalend. Iunij, in qua hoc ipsum de ijs, qui de Societate tria illa vota simplicia post Nouitiatum emisissent, declarauit, probauit, & definiuit, confutatis etiam luculenter ijs, quæ contra obijci possent, ac pœna excommunicationis, latè sententia, necnon inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia secularia, & quorumvis ordinum regularia, eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, in dicta ijs, qui contradicant, insuper reservata ipsi Sedi Apostolicæ absolutione ab huiusmodi, vt latius in dicta constitutione habetur.

¶ Et quod Nouitij debeant gaudere priuilegijs monasterij, facit, quia Nouitij verè sunt de familia mona-

sterij, & pars communitatis eiusdem Religionis. Dian. resolut. moral. tract. de immunit. Ecclesiæ. resolut. 37. versic. sed aduersus, quem refert Nouarius in suo nouo tract. de elect. fori d. quæst. 46. sect. 2.

RESOLVT. CCXLII.

- 1 Nouitij in odiosis non veniunt appellatione regularium.
- 2 Nouitij non comprehenduntur sub casibus reservatis.
- 3 Religiosi quibus confiteri possint.
- 4 Nouitij non astringuntur oneribus Regularium, nec illius censuris, num. 5.

Nouitij, An includantur sub Bullis editis contra Religiosos, vel in casibus reservatis a Superioribus Religionum.

¶ Vpposita illa probabili opinione, quod Nouitij in odiosis non veniunt Regularium appellatione, vt supra in alia resolutione fuit firmatū, dicendum est in casu, de quo quæritur, illos non includi sub Bullis editis contra Regulares. Inde loquendo de Bulla Clem. VIII. edita circa prohibitionem munerum Regularibus, quod non includat Nouitios notarunt, Sorbus in compend. priuileg. in vers. dare. Filucius tom. 2. tract. 34. cap. 3. nu. 60. F. Bartholom. a S. Paulo in thesaur. Relig. lib. 8. quæst. 206. Sanchez in summa lib. 5. cap. 5. num. 12. tom. 2. quos sequitur recenter Nouar. lib. 1. quæst. forens. cap. 80. vers. inde, in secunda impress.

¶ Idemque dicendum est in casibus reservatis a Superioribus Religionum, quia Nouitij nec includuntur, taliter quod absolui possint, Graffius in Append. lib. 1. cap. 7. num. 69. Emanuel Sa in suo Aphorism. in verb. casus referu. Homobon. in tract. de casib. referu. c. 32. part. 1. Nald. in summa, in verbo Nouitius, n. 7.

¶ Quomodo licet Religiosi non possint confiteri, nisi Confessariis ab eorum Prælati designatis, & si alias facerent, confessio esset nulla, tamen Nouitij possunt confiteri omnibus Confessariis ab Episcopo approbatis, & confessio erit valida, Henriquez in summa lib. 6. cap. 16. num. 3. in glos. lit. X. Rodriguez quæst. regular. tom. 1. quæst. 27. art. 11. Homobon. in. exam. Ecclesiæ. par. 1. tract. 5. cap. 2. quæst. 13. Molfes. in sua summa tract. 7. cap. 14. nu. 81. & si contrarium teneant, Megal. instruct. conscient. lib. 1. cap. 8. nu. 20. par. 1. Vecch. in praxi Nouit. disput. 10. dub. 3. num. 3. quorum tamen opinio est contra communem, quia.

¶ Nouitij non astringuntur oneribus, & præceptis Regularium, licet sint inducendi Siluest. in summa in verbo Religio il. 5. quæst. 6. nec præceptis, & censuris Religionis, Graff. confil. 8. num. 3. de voto.

¶ Et Nouitij censuris Religionis non innodantur Armill. in summa in verbo Nouitius n. 17. Angel. nu. 18. Tabien. nu. 14. Siluest. in summa in verbo Religio il. 5. num. 6. Henric. in sum. lib. 7. cap. 22. §. 7. Nec oneribus ipsius sunt obnoxii, præsertim ne teneantur recitare Diuinum officium, nisi ratione ordinis, vel beneficii, quod haberent Sorbus in compend. mendicant. in verbo Nouitius, §. final.

RESOLVT. CCXLIII.

- 1 Pubes debet esse qui ingreditur Religionem.
- 2 Aetas duodecimi anni requiritur in ingredi volentem Religionem.
- 3 Annus nouitiatus ad quid detur.

Nouitius quam ætatem habere debet ad hoc, vt legitimus faciat Nouitiatum.

¶ Sciendum est, & notare debemus, quod vt ingressus in Religionem sit propriè, & verè Nouitius, ac legitimus

gitimum faciat nouitiatum; requiritur quod si pubes, id est quatuordecim annorum completorum, ut supponi videtur in Clement. fin. iunct. gloss. in verbo atate, de regular., & scripserunt Syluester in summa, in verbo Religio il. 2. quæst. 12. & in verb. Religio il. 3. quæst. 2. Azor. instit. moral. lib. 12. c. 2. q. 4. & q. 7. & alij quos refert, & sequitur Sanchez in præcepta Decalog. cap. 4. nu. 22. lib. 5. tom. 2.

2 Et cum quis religionem ingreditur, habitumque regularem suscipere intendit, duodecim annos expleuisse oportet si mulier sit, ut in Concil. Trident. sess. 25. c. 17. de regular. quod si vir, in ea debet esse atate quam eius ordinis Regularis in quo recipitur Regularia instituta, & ordinationes requirunt ex decreto Clem. VII. de quo apud Qqarant. in summa Bullar. in verbo Monasteria Regularia.

Cuius opinionis ratio reddi facilius potest illa inter alias, quæ fortasse adduci, & considerari possent; eo quia annus Nouitiatu datur ad austeritates Religionis experiendas, inter quas primum, & supremum locum obtinet castitatis obseruantia, cuius difficultates impuberes experiri plenè vtiq; non possunt, ut experientia, quæ est rerum magistra docet.

Declarata tamen quod licet supradicta atas sit necessaria, tamen de licentia Superioris generalis Ordinis potest quis acceptari ante pubertatis annum, & valebit ingressus, Sanchez in præcepta Decalog. lib. 4. cap. 18. num. 8. ita ut gaudebit talis privilegio Canonis, iuxta textum in c. Religioso, de sentent. excomm. in 6. prout ita probat Angel. in summa in verbo Nouitius num. 21. & Palud. in 3. sent. dist. 39. quæst. 3. in quæstiuncul. 2. in fine.

RESOLVT. CCXXXIV.

1 Creatio Religiosorum de iure spectat ad Prælatum.

2 Capitulum repugnante Prælato, & contra non potest ad professionem admittere, quia amborum consensus requiritur, num. 3.

Nouitius An possit admitti ad professionem absque consensu Capituli Monasterij.

1 Pro resolutione huius quæsti pars negatiua est, & videtur verior, ea ratione, quia creatio Religiosorum de iure pertinet ad Prælatum, & ad Conuentum simul, c. ea nescitur, de his quæ sunt à Præl. t.

Tum etiam quia in creatione Religiosorum reperitur quidam contractus, & reciproca obligatio, qua proficiens monasterio obligatur, & monasterium vicissim ipsi proficenti, eum sustentandi, & alendi, & cum ipso vnum corpus, & Collegium constituendi, igitur requiritur vtriusque partis consensus: & sicuti professio est nulla, deficiente consensu proficentis, ita & nulliter facta est censenda, & existimanda deficiente consensu Monasterij, & maxime contradicente capitulo, Nauarr. conf. 62. num. 2. de Regularibus, Miranda in suo Manuali Prælatorum q. 24. art. 8. Vnde sequitur quod nec Capitulum repugnante Prælato, nec Superior repugnante capitulo, potest aliquem ad professionem admittere, idem Nauarr. consil. 9. q. 5. n. 13. de constit. in 2. edit. Sanchez in præcepta Decalogi lib. 5. c. 4. num. 69. Fr. Bartholom. à S. Fausto in suo thesaur. Religios. q. 240. lib. 5. vbi quod procedunt non solum ad admittendum aliquem ad professionem, sed etiam ad receptionem ad habitum, ut sequitur etiam Emanuel Sà in suo Aphorismat. in verb. Religio, num. 65. & Leis. de iust. & iur. lib. 2. c. 41. dub. 7. taliter quod amborum consensus requiritur pro ut dictum est cum professio sit quidam contractus inter religionem, & professum ex quo reciproca quædam oritur obligatio, sequitur quod nec professio tacita, neque expressa fieri,

Aloyf. Ricc. Prax. Pars IV.

aut dari potest alicui sine consensu vtriusque, nempe capituli, & nouitii, iuxta textum in l. in omnibus ff. de ad. & obligat. & l. sicut C. eod. tit. Innocent. & Panormit. in cap. porrectum, de Regul. Syluester. in summa in verbo Religio quæst. 19. num. 19. testant esse communem opinionem.

RESOLVT. CCXXXV.

1 Beneficia Nouitiorum non vacant durante Nouitiatu.

Nouitiorum Beneficia An dicantur vacare, ita ut iure eligendi in illis competente interea priuentur.

1 Dicendum est, quod durante tempore Nouitiatu beneficia eorundem Nouitiorum interea non sunt dicenda vacare, iuxta cap. beneficium, de regular. in sexto, & ibi Gemin. nu. 1. & 3. ac Petr. Gregor. Tholos. in lib. 1. partis iuris canon. tit. 28. ca. 4. adeo quod si beneficium possideant habentes ius eligendi, cum prædictum ius computetur inter fructus, teste Felyn. in cap. cum olim, de maiorit. & obedient. Innocent. in c. in litteris in princip. de restitut. spoliat. debent vocari dummodo in loco non admodum litigij quo degant, sed ut eligant, seu Procuratorem constituant ad eligendum si Archidiacono credendum est in eodem cap. beneficium verific. assensus, quem sequitur inibi Guilielm. colum. 2. & Petr. de Anchar. n. 3. à Philippus Probus num. 1. tum per rationes ab eodem Archidiacono traditas, tum præterea per eius auctoritatem, quæ maxima est præsertim super 6. Decretalium, ut eius dicta in eo libro sint præferenda cunctis resolutionibus ab alijs omnibus in eodem libro traditis, ut inquit Felyn. in cap. 1. post num. 54. de constitut. & Thomas Ferret. caut. 19. in fine per auctoritatem Rotæ in decis. 348. in antiquis, & consequenter videtur non admittenda contraria sententia Pauli super eodem cap. beneficium, & inibi Ioannis Monaci num. 2. Ioan. Andr. post num. 2. & Glossæ magnæ propè finem, quod nequeant eligere, vel Procuratorem constituere ad eligendum, Azor. constitutione moralium lib. 12. cap. 3. subiiciens secus esse quoties electio, siue præsentatio ad ipsos Nouitios spectaret non iure collegij, sed ex eorum propria persona per Gemin. & Franc. in eodem c. beneficium. Verum ipse in præfata Doctorum, & grauissimorum controuersia, vel relinquerem cogitandum, quemadmodum Franchus relinquit in ipsomet cap. num. 2. in fine, vel dicerem esse vocandos non quidem, ut personaliter eant ad electionem, ne eueniant, quæ Ioan. Andr. & alij pertimescunt, & propterea negant illos vocari debere, sed ut Procuratorem constituant, atque, ita omnis abest mali timor, & ipsi eligendi iure non priuantur: quod si beneficia a Nouitijs possessa retinerent curam animarum, Episcopus alios substitueret, qui illis inferuiant, assignata eis congrua de illorum prouentibus portione ex eodem cap. beneficium, nec tantum deseruiunt per anni tempus in illo c. statutum, sed quosque fuerit emissæ professio, ut inquit Parisius in tractat. de resignat. benefic. lib. 3. quæst. 13. post n. 82. fretus Concil. Trident. can. 16. sess. 25. de regularibus.

RESOLVT. CCXXXVI.

- 1 Probationis Annus debet esse continuus.
- 2 Superioris Auctoritas excuset.
- 3 Salarium debetur Auditoribus pro tempore quo fuerint absentes de licentia.
- 4 Absentia propter infirmitatem est coacta.

KK

Noui.

Novitius egressus Monasterium de Superiorum licentia propter inuoluntatem, An possint adimplere annum probationis, reuertendo ad illud,

Regulariter annus probationis, debet esse continuus ad hoc, ut professio fieri possit in Religione; aliter quod non coniunguntur, Abb. & Anchoran. in c. ad Apostolicam, de regular. Syluest. in sua summa in verbo Religio §. quæst. 4. num. 4.

Tamen ubi Novitius de Superiorum licentia exiit de Monasterio, propter malam valetudinem, habetur enim pro presente, ac si nunquam fuisset egressus, & potest adimplere annum probationis, coniungendo primum tempus cum sequenti, quasi non flet per eum ad quem pertinet, quod minus conditio impleatur, ideo debet indicari, & haberi pro impleta, Gonzal. Mendoz, Vascell. lib. 2. var. iur. argum. cap. 15. ubi testatur resolutum, ita per sacram Congregationem Concilij, Gratian. in addit. ad decis. Marchia 35. nu. 2. Graff. in decis. aur. lib. 3. cap. 5. post num. 18. Nauar. conf. 47. de Regular.

Et ratio est, quia licentia Superioris excusat, & illum facit esse pro presente, ex dictis per Amat. decis. Rotæ Marchia 52. n. 22. quem allegat Nouarius in praxi elect. & variationis fori, quæst. 45. sect. 3. in antiqua impressione Neapolitana num. 13. cum sequent. ubi fundavit salarium deberi Auditoribus Rotæ pro tempore quo fuerunt absentes cum licentia; & quod lectores dicuntur legere, eo tempore quo vacant de licentia Superiorum.

Tum etiam quia absentia, propter infirmitatem est coacta, & non voluntaria, & quod quis inuitus patitur, non debet ei asserre præiudicium, ut notat Glos. in cap. fin. distinct. 5. in verbo inuita, & in cap. presbyteros dist. 50. Et infirmus censetur Ecclesiæ inferuire, Gemin. consil. 1. colum. 3. Bonifac. in Clem. cupientes, num. 46. de pœnis. Vnde ideo videmus, quod qui absunt a Choro propter infirmitatem, quia interesse censentur, ideo bene possunt distributiones quotidianas percipere, cap. vnic. §. qui verò de Cler. non resident. Nauar. in coment. de horis canonic. c. 11. nu. 10. Gutierrez quæst. canonic. lib. 1. cap. 1. nu. 140. Couar. lib. 3. var. resol. c. 13. num. 8. Duen. regul. 206. limit. 7. & latius Cened. lib. Canon. quæst. cap. 1. num. 7.

RESOLVT. CCXLVII.

- 1 Electio fori competit personis Ecclesiasticis, etiam si agant pro eorum offensa, num. 2. vel consanguineorum, num. 3.**
- 4 Novitij vti personæ Ecclesiasticæ, gaudent beneficio electionis fori.**

Novitius an utatur privilegio l. vnica, C. quando Imperat. inter pupill. & viduam.

Personæ Ecclesiasticæ, pro bonis Ecclesiasticis, litiganti, perhorrescentiamque aduersarij alleganti competit proculdubio electio fori, de qua in l. vnica, C. quando Imperat. ita Doctor. omnes in cap. cum sit generale, de foro competentis. Afflic. decis. 257. ubi etiam Vrsil. in addit. Menoch. de arbitr. Iudic. cal. 166.

Et quemadmodum persona Ecclesiastica, habere fori electionem, ubicumque ageret pro rebus Ecclesiasticis, ita pariformiter haberet ipsius fori electionem, quotiescumque per laicum foret offensa eius persona, & sic ei illata reperiretur iniuria, & percussio, pro ut sic assentitur cum suo necessario fastigio, & apparatu in terminis, Io. Vincent. de Anna in allegat. 146. Franc. decis. 897. Viuius decis. 27. ubi sic decilum in Reg. Audient. Apuleæ refert, & adducit rationem, nam iniuria illata personæ Ecclesiasticæ Deum tan-

git, cap. nonnulli §. q. 1. tangit etiam totam Ecclesiam, & sic iniuria facta Clerico, potest à quolibet de illo loco vindicari, ad quos principaliter pertinet, ita Bal. & Paul. Castren. in leg. 1. §. huius studij in fin. de iust. & iure; licet hinc est quod si remitteretur iniuria hæc ab offenso, non censetur utique remissa ea, quæ est illata toti Ecclesiæ, can. si is qui 27. quæst. 4. & c. Salonitana 44. dist. Card. in Clem. 2. in princ. de pœnis, & Doctor. in cap. fin. de maledic.

Imò personas Ecclesiasticas agentes, pro iniuria facta consanguineis, posse vti huiusmodi privilegij electionis fori, pulchrè probauit Nouar. forens. q. 7. lib. 1. ut apud eum in facti contingentia latius videri potest.

Et cum ut alias probatum est Novitij, durante probationis anno nomine Ecclesiasticarum personarum veniant præcisè in fauorabilibus, prout in casu, de quo agitur, ideo iuridicè concludi potest Novitios habere privilegium eligendi forum, pro ut, & ceteræ personæ Ecclesiasticæ, ut ita in terminis scripsit idem Nouarius in sua praxi electionis, & variationis fori, quæst. 35. sect. 2. in ultima impressione.

RESOLVT. CCXLVIII.

- 1 Novitij non possunt habere beneficia regularia.**
- 2 Beneficia secularia possunt conferri Novitio.**
- 3 Presentatus ad beneficium, licet ingrediatur Religionem potest insitui.**

Novitijs beneficia Regularia, An possint conferri, vel secularia.

Dicendum est, quod nullatenus beneficia regularia possunt conferri Novitiis, sed debent dari expressè professis, cap. nullus, de electio. Clem. 1. de supplenda negligentia Prælatorum, & Clem. 1. §. sanè 2. de Statu Monachorum, Paulus Lopus Domin. num. 6. vers. in eadem glos. ibi nullus, & Franchus num. 1. circa finem, in cap. beneficium, de regul. in 6. quidquid sentiat glos. ibi in verbo conferendum. Azor. lib. 12. c. 3. quæst. 1. Beneficia verò secularia possunt conferri Novitio, & valebit collatio, seu electio de eo facta, cum possit consentire, & redire ad seculum, & non sit verè Religiosus, quamuis contra teneat dicta Glosa verbo conferendum, dicens quod constituto in probatione, non poterit conferri beneficium, quod per seculares possideri non possit, & cap. quam sequitur ibi Lopus, Anchoran. & Domin. ubi supra, sed contra eum tenet Franchus, dicto num. 1. vers. in eadem glos. ibi possideri, dicens satis videri, quod licet id fieri non debeat, ut dicit gl. si tamen eidem conferatur, vel ad id eligatur, tenebit electio, vel collatio, & cap. qui tamen malè ait quod consentiendo, & beneficium acceptando, videtur ipsi Religionem renunciare, sicut è conuerso, nam non est comparabile beneficium cum Novitiatu, & probatione, idem tenet Azor. supra, unde in Sac. Concil. Trident. sess. 24. cap. 13. & 15. de reformat. prohibetur beneficia regularia secularibus vniri. Hodie in eodem Concilio, sessio. 14. cap. 10. de reform. decretum est, ut regularia beneficia, in titulum regularibus professis prouideri consueverunt, tum per obitum, aut resignationem, vel alias illa, in titulum obtinentis vacare coningerit religiosis tantum illius ordinis, vel iis qui habitum, qui omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis ne vellem, lino, lanaque contextam induant; conferantur Gonzal. in regul. 8. Cancell. glos. 8. num. 7.

Ex quibus meritò, Nouarius lib. 1. quæstion. forens. c. 80. volum. 1. presentatum ad beneficium Iurispatronatus, si ingrediatur Religionem, dum est in Novitiatu, posse insitui per Ordinarium.

R E.

RESOLVT. CCXLIX.

- 1 *Vota Religionis ingressu resolvuntur, etiam quod sint personalia, num. 2.*
- 3 *Vota temporalia possunt commutari in perpetuum Religionis ingressum.*

Nouitius durante Anno Nouitiatus, An sit à votis in seculo emissis absolutus.

- 1 **C**larum est, quod per ingressum Religionis vota resolvuntur, cap. admonere 33. quæst. 2. vbi glos. in verbo Monaster. affirmat, quod Religio multos parit effectus, nempe quod quantumcumque peniteat, quis teneatur finire; si intret Religionem ad illa non tenetur: cum Religio soluat vinculum iuramenti, cap. peruenit, de iure iurand. Item soluit votum cap. scripturæ, eodem tit., taliter quod per ingressum religionis, in anno probationis vota resolui, siue sint personalia, vt ieiunia, & orationes, siue realia, vt elemosynæ, siue mista, vt peregrinationes ad Eccles. cum elemos. aduersus Syluest. in sua summa, in verbo Religio tenuit Couar. de pactis par. 1. §. n. 4. ver. 2. apparet, qui ampliat suum dictum, etiam absque autoritate Superior, quod satis constat ratione vrgentis, quia Deus melius, & gratius acceptabit id opus, quod melius est, cap. quod super his, de votis facit text. in cap. scripturæ eod. tit. vbi reus fracti voti non dicitur, qui temporale obsequium in perpetuum, noscitur, Religio. obseruantiam commutare; facit etiam text. in cap. peruenit, de iure iurand. quo quidem casu, cum certum sit ingressum Religion. gratiosum esse Deo, quam quodcumque aliud opus. Hinc fit, quod quæcumque vota temporalia possint commutari in perpetuum Religion. ingressum absque autoritate Superior. D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. glos. in cap. Monacho 2. q. 6. Panor. & Felyn. in dicto cap. peruenit, Syluest. in verbo votum 49. Roman. singul. 498. facit etiam text. in c. licet, de pœnit. & remis. vbi Abb. Card. & Ancharan. existimant non esse necessariam autoritatem Superior. in commutando pœnitentiam iniunctam à Confessario, in ieiunando aliquot dies in pane, & aqua, si certa sit necessitas carentiæ panis: quia tunc potest vti legitimis, aut alijs cibis ad sustentationem, facit etiam text. in c. licet, de regular. vbi responsum est posse, quem transire ad strictiorem Religionem, licentia tamen petita, non tamen obtenta à Prælato.

RESOLVT. CCL.

- 1 *Milites S. Iacobi, Calatræ, & Alcantaræ, qui professionem non emisissent, minime gaudent privilegio fori, sed vide nu. 2.*
- 3 *Nouarius ab impugnatione Giurba, defenditur, & laudibus extollitur.*

Nouitij Religionum Militar. puta S. Io. Hierosol. Calatræ, & Alcantaræ, An gaudeant privilegio fori, sicuti & Nouitij aliarum Religionum.

- 1 **N**on desunt, quia in ea fuerunt opinio, quod Milites Ordinum S. Iacobi, Calatræ, Alcantaræ, & similia, qui professionem adhuc non fecerunt, quod non gaudeant privilegio fori, vt dixerunt Socin. in c. proposuisti, de foro competentis, Bos. in eodem tit. n. 144. Bonadil. in sua Politica lib. 2. cap. 19. nu. 16. & 17. Mastrill. decif. 290. nu. 166. par. 3., vbi ita affirmat vidisse practitari in Regno Siciliæ; quidquid sit in alijs Nouitijs Religionum, qui intra tempus Nouitiatus quantum ad hoc censentur personæ Ecclesiasticæ ex l. statu liber. ff. de quæstion. Decian. in tract. crimin. lib. 4. cap. 9. nu. 24. Scaccia de iudic. causarum civil. cap. 5. Praxis Aloyf. Ricc. Pars IV.

nu. 12. vbi quod si professio non est facta, quia adhuc non est elapsus annus, vel quia aliter esset impeditus, tunc ingressus religionem gaudet foro Clericali, taliter quod paria sunt ad istum effectum factam fuisse professionem, vel esse intra annum faciendi eam.

- 2 Verum contrarium, & verius in puncto principali scripsit Nouarius in suo tomo 1. quæst. forens. cap. 42. vbi perbellè probauit, quod ille qui assumpsit tantum habitum sacre Religionis militaris, & professionem adhuc non emisit, gaudere priuilegio fori, quia valet argumentum de statu Regularium ad statum, & Religionem Religiosorum militarium, vnde dispositum in vno, debet in alio procedere.

Et licet non ter Giurba conf. crimin. 77. num. 21. tentauerit pungere doctissimum Nouarium in citata quæst. 42. sub prætextu quod non percepisset, Soc. & alios contrarium tenentes; putans quod illi loquantur in militibus alterius ordinis, quam S. Io. Hierosolymitanis; ex quo censere videtur Nouitios Religionis Hierosolymitanæ gaudere hoc priuilegio fori, alterius vero Ordinis non, supponens illos non esse verè Religiosos. Tamen aduertendum est totum contrarium, fuisse declaratum à sacra Congregatione, vt indistinctè qui assumpsit habitum Ordinis militaris debeat fori priuilegio gaudere, prout sic etiam decifum in Regno Hispaniæ fatetur Barbosa in remission. Doct. ad leg. Lusitan. lib. 2. tit. 12. fol. 163. Vnde præfatus Nouarius, sicuti doctè, & piè supradictam sustinuit opinionem; ita quoque maximè operè laudibus extollendus venit; & eiusdem Nouarij sententiam aduersus supracitatos recentissimè adducit Additio ad Costam Siculum, in consil. 42. num. 18. & diximus supra in titulo de Religiosorum militum. Ordin.

RESOLVT. CCLI.

- 1 *Personæ Ecclesiasticæ quæ dicantur.*
- 2 *Nouitij ante professionem non sunt Religionis membra.*
- 3 *Nouitius ante annum probationis, an possit ordinari.*
- 4 *Trahens Nouitios ad forum seculare incidit in censuram Bullæ Cens.*

Censura lata in Bulla Cœna Domini, contra trahentes personas Ecclesiasticas, an liget illum qui trahit Nouitium ad Forum seculare.

- 1 **F**Vi quandoque consultus in variis casibus contingentibus, si trahens Nouitium ad forum laicale sit innodatus censura lata in Bulla Cœnæ Domini, & semper pro affirmatiua parte respondi; eo quia personæ Ecclesiasticæ, in dicto Canone nominatæ dicuntur omnes fori priuilegio gaudentes, atque adeo omnes ij qui aliquo actu eximuntur a secularibus; nempe per receptionem ad aliquam ex Religionibus approbatis, vt præter alios aduertit Sayr. in Thesaur. cas. conscientiæ lib. 3. cap. 19. num. 7. & personæ Ecclesiasticæ dicuntur, non solum omnes clerici, siue seculares sint, siue regulares Religiosi, ac Religiosæ, eorumque conuersi, & conuersæ in aliqua Religione approbata vota profitentes, vt in c. cum ad monasterium, de stat. monach. & canon. lex continentiarum 27. quæst. 1. sed etiã eorumdem Nouitij, siue Clerici sint, siue Conuersi: quia Nouitij infra probationis annum licet, non dicantur propriè Religiosi, vt dicit Bart. in l. illa. Ne Sacr. Baptis. reit. Imol. in l. quoties in stipulationibus, & ibi etiam Angel. de verbor. obligat. & in l. si idem, vbi Paul. Castr. ff. de iurisd. omn. Iudic. Rom. & Bald. in l. non solum in princ. & §. annus per illum text. ff. de excus. tutor. eo quod Nouitij ante professionem non sunt religionis membra, nec ad primam tonsuram ordinari possunt, vt in cap. in monasterijs 19. quæst. 3. Armill. in summa, in verbo Nouitius, numer. 18. & si aliter il-

KK 2 lum

lum textum intelligat Turrecrem. ibi, & Rodriguez
3 tom. 1. quæst. regular. quæst. 13. cap. 4. in fine; ubi opti-
me defendit Novitium in fra annum probationis pos-
se ad primam tonsuram, & etiam ad ordines promo-
ueri; nec obligantur ad præcepta regulæ, nisi sicut alii
Christiani Syluest. in summa, in verbo Religio 5. num.
6. Angel. ea. verfic. num. 18. & Sayr. lib. 7. §. Ihesau. cap.
13. num. 6. tamen gaudent privilegio Clericali,
4 Vnde in propriis terminis supracitati articuli,
quod censura lata in Bulla Censæ Domini contra-
rahentes personas Ecclesiasticas, liget trahentem.
Novitium ad forum seculare, docet Novarius de elec-
tione, & variat. fori qu. 46. sect. 2. in vltima impressione
Neapolitana.

RESOLVT. CCLII.

- 1 Novitius intelligitur filius illius Monasterij, in quo re-
ceptus fuit.
2 Commoda sequuntur illum, qui habet incommoda.
3 Decisio Trinisani reportatur.

Novitijs An intelligatur filius illius Monasterij,
in quo receptus fuit, si in alio profes-
sionem emittat.

- 1 **E**t vsus aliquarum Religionum, & præcipuè Clericorum Regularium, vt Nouitius intelligatur filius illius Monasterij, in quo receptus fuit, quamuis professionem emitat in alio Monasterio, & sicut ad illud Monasterium, in quo fuit receptus, spectat onus dicti Nouitij non solum dum est in nouitatu, sed etiam vbi est professus: sic etiam omnia emolumenta, quæ perueniunt ad Religionem ratione dicti Nouitij, in quocunque tempore pertinet ad idem Monasterium, iuxta regulam iuris, vt qui sentit commodum, debet sentire & incommodum, iuxta vulgata regulam, de qua Nouarius lib. 1. quæst. forens. cap. 113. num. 7. misit tamen Capitulum Monasterij, in quo fuit receptus Nouitius consentiret vt posset Nouitius dispo-
nere in fauorem Monasterij, in quo professionem emisit, quia tunc benè illa bona acquirerentur dicto Monasterio: cum bona non acquisita remitti, & relaxari possint absque scrupulo, Abb. in cap. sua. num. 9. de his quæ sunt à Prælat. Quarant. in summa Bullar. in titul. de alien. rerum Eccles. num. 43.
- 3 Verum in puncto principali notabis quod Triui-
can. decis. Rot. Venet. 30. part. 1. hæc dicit, *Monachus vel Regularis die professionis, quam emitit, omnia eius bona vna cum persona sua incorporantur Monasterio cap. 2. Concil. Trident. sess. 25. de regular. & monial. adeo vt Monasterium in quo professionem emisit est dominus libertatis, & bonorum proficentis: postea vero professus ille si mutat Monasterium, id est Ciuitatem, non autem Religionem, & aliquid acquirat; dubitatur cui acquirat an Monasterio sua professionis emisit, vel illi in quo reperitur, in vna Perotta nuncupata Venetiarum dubium hoc mihi euenit in facto, & prima facie videbatur dicendum quod pecunia fratris Adriani Perotta reperta in eius cellula in Monasterio Sancti Antonij Venetiarum esset ad iudicanda Monasterio Sancti Saluatoris Venetiarum in quo professionem emiserat; quia illud dicitur eius Monasterium, & ideo quicquid acquirit Monachus acquirit suo Monasterio, Abbas in c. ne religiosi, de regular. num. 3. suum dicitur illud in quo Monachus factus est, ergo pecunia prædicta prima facie videbatur dicendum deberi assignari Monasterio Sancti Saluatoris. His tamen non obstantibus contrarium decisum fuit nempe spectare ad Monasterium Sancti Antonij vbi inuenta fuit ex doctrina Cardinalis Zabarella cons. 6. nu. 2.*

RESOLVT. CCLIII

- 1 Interdictum Cleri, includit Religiosos.
- 2 Interdicta Ciuitate, singuli censentur interdicti.
- 3 Nauarræ verba reportantur.

Ciuitate interdicta, an Nouitij includantur.

- 1 **E**X Nauarr. in manuali habetur cap. 27. nu. 167. ver-
fic. quamuis interdictum Cleri; habetur. quod
interdictum Cleri includat Religiosos, Religias,
Conuersos, Conuersas. sic etiam Nouitios, & Noui-
cias: Igitur a contrario dicendum est, quod interdicti
populo Ciuitatis non includunt Nouitij Religio-
num, vt firmat Campanil. in diuers. iur. Canon. ca. 3.
num. 28. Rubr. cap. 12. per hæc verba ex quibus illud
2 præcipum comprobatur axioma, quod licet inter-
dicta Ciuitate, singuli illius vnuerſitat. interdicti ſint,
cap. ſi ſententia. ſ. cum verò de ſent. excommun. in 6.
nihilominus in aliquod ingreſſus monaſterium ſtatim
ſit ab eo liberatus, atque etiam ante profeſſionem;
quia in Clericorum numerum aſcriptus, & propterea
ualeat ordinibus inſigniri, atque initiatis vti, vt poſt
longam diſputationem concludit Federic. de Senis in
citato conf. 32. & defendit Vgolin. in tract. de cenſur.
tabul. 5. ſub rubr. de interdicto. c. 20. §. 4. num. 2. vbi
tamen pro ſui iurisdictione adducit Nauarr. in manuali,
cap. 27. num. 167. verſi. quamuis interdictum Cleri, vbi
3 hæc ſcribit verba. (*Quamuis interdictum Cleri, videatur
includere religioſos, & religioſas, conuerſos, & con-
uerſas, nouitios, & nouicias*) ergo a contrario interdictum
populi non eos amplexantur; validum apparet argumen-
tum, quò ad eos qui tempore interdicti reperiuntur Noui-
tios, non autem ad eos qui eo tempore erant laici, & poſtea
aſſumpſerunt habitum; ad iſtos enim nullatenus extendi
poſſe præſata verba Nauarr. Opino, quamuis concluſi-
onem reſolutionem ipſum ſubſtituer, illoſque per aſ-
ſumptionem habitus monachalis, iam liberatos ab
interdicto; & conſequenter promoueri, ac in promo-
tis miniſtrare non prohiberi.

R E S O L V T. CCLIV.

1. *Novitii absoluntur à censuris ab eorum Prælatiſ, ſed
vide num. 2.*
3. *Initium in delictis attenditur.*

Nouitij an à censuris, & casibus referuatis ante ingressū incurfis, possint absolui à suis Superioribus.

- I**temendum est, quod a casibus reservatis, nec non a censuris etiam ante ingressum incurfis, absoluntur a Prælati Religionum, Hostiens. in cap. monachi in princip. de sent. excomm. Archid. in cap. Religioso, circa finem, de sent. excomm. in 6. Pal. alleg. 47. Grass. in decis. au. lib. 3. cap. 5. sub num. 33. Sayr. in thesaur. cas. conscient. lib. 3. cap. 28. nu. 14. ubi tamen num. 15. declarat, quod a censuris absoluntur cum reincidentia, si infra annum egredierentur a Monasterio. Passarell. de privileg. minor. cap. 33. Felician. in tit. de excomm. cap. 14. & 15. Asten. in summa lib. 7. tit. 13. artic. 5. quest. 11. ubi quod præta clausula cum reincidentia si inde exierint, subintel ligeretur etiam si non apponeretur.
- V**erum Innocentius in c. cum illorum, de sent. excomm. negat Novitios posse absolvi a Super. regular. cuius opinio tanquam verior videtur confirmata per Rodriq. quest. regul. q. 20. art. 21. to. 1. ubi proponens hunc articulum respondet affirmative, motus ex privilegio quodam Clem. IV. minoribus concessio, altero que Pauli III. concessio Congregationi Iesu, quare videtur contrarium innuere in illis Religionib. que consimile

simile non habet privilegium, eo quia privilegia sunt prinata lex, & contrariam insinuant dispositionem de iure communi, & ab eo aliquando continere dicuntur l. 1. §. si plures, ff. ad municip. l. 3. & ibi Doctor. ff. de bon. liber.

- 3 Pro qua ultima opinione satisfacit, quod in delictis, & criminibus tempus in quo commissum est, debet attendi, l. 1. ff. de pen. l. iniuriarum extimatio, ff. de iniur. l. 1. §. l. ff. ad Syllan. quamvis mutetur status, glos. in l. 1. in verbo commissi, Cod. ubi de crimin. agi oport. nam privilegium superueniens non mutat forum, de quo latè Giurba decis. 23. cum in omnibus initium, & principium sit inspiciendum, ut probatur in leg. si filius familias, ff. de verb. oblig. & fuse discutit Nouarius in suo tract. de datione in solutum qu. 25. part. 2. qui in praxi elect. fori qu. 46. sect. 2. in vit. impress. Neapol. in specie cum ista finali opinione trāsire, & illā fuisse rationibus alijs, ut apud eum legi poterit.

RESOLVT. CCLV.

1 Nouitij quando admittantur ad proficendum.

Finito tempore Nouitatus, Superiores An possint tempus professionis prorogare.

- 1 **E**st quidem certum, nec dubitare licet, quod finito tempore Nouitatus, Superiores ad proficendum admittant Nouitios, quos habiles inuenerint, aut e Monasterio eos eiciant exceptis Clericis Societatis IESV, præcipitur in Conc. Trid. cap. 16. sess. 25. de regular. relatione autem, deinde super hac dispositione Concilij per Sacram Congregat. Cardinalium, illius Interpretum facta Sanctissimo Pio Papa VI. declarauit Sanctitas sua procedere tantum in illis Nouitijs, quos Superiores elapso tempore nouitatus habiles inuenerint, non autem in his quos inhabiles, ut sunt illi, qui didicenda adhuc non bene didicerunt: & ideo quo ad istos attinet, Sanctitas sua concessit, ut Superiores possint illorum professionem, si ipsi Nouitij consenserint, prolongare dummodo habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles infra sex menses, ita testatur Gaspar Passarelli in suo tractat. priuileg. fol. 230. respondisse Eminentiſsimos Cardinales præfatæ Congregationis sub die 8. Nouembris 1564. & refert etiam Sorbus adiungens, ita præterea viuz vocis oraculo concessum fuisse Religioni Capuccinorum in Annotat. ad compend. men. die. verbo nouitius, vers. 6. notandum ipsos vidi Neapol. nonnumquam dilatum fuisse ad multos dies, & hebdomadas post annum, idque ex multis, diuersisque tunc emergentibus causis, atque in facto occurrentibus.

RESOLVT. CCLVI.

- 1 Beneficium illius, qui religionem ingreditur non est conferendum intra probationis annum.
2 Beneficium resignatum a Nouitio qualiter sequuta professione debeat ab Episcopo conferri.

Nouitiorum beneficia, An possint resignari.

- 1 **T**Ext. in cap. beneficium, de regular. in 6. videtur antuere, dum constituit ne beneficium illius, qui religionem ingreditur, sit conferendum intra probationis annum, nisi ipsius accedat consensus, hæc quidē verba nouissime relata indicant ea posse a Nouitijs resignari, & eius accedente consensu alteri conferri, idque expressis verbis affirmant Angel. & Armil. in verbo nouitius ille n. 22. iste autem n. 18. verum contradicit Maiol. in tract. de irregul. lib. 3. c. 6. post n. 1. negans id fieri posse, & factam renuntiationem nullius
Aloys. Ricc. Prax. Pars IV.

esse validitatis adiungens, & Parif. de resignat. benefic. lib. 3. qu. 13. n. 4. mouentur ex cap. 16. Conc. Trid. sess. 25. de regular. cuius decretum vindicare sibi locum, etiam in renuntiatione beneficii, idque pluries declarasse Congregationem Concilij, subnectis idem Parif. num. 5. ob quod cum ille canon, procedat etiam in renuntiante bona sua ante ingressum religionis, illius tamen intuitu, ut probat Molina in tract. 2. de iust. & iur. disput. 139. versic. ambigit rursus, & clarius disp. 149. versic. quod ad Ecclesiam, utique rectè censuit præfatam Congregatio Concilij in hac renuntiationis beneficii specie ex Parifio citato loco, num. 9. ut qui animo ingrediendi monasterium renuntiavit beneficium ante ingressum, nullius sit validitatis renuntiationis tamen nihil in bonis habeat renuntians, ex quibus vivat, aut ordines suscepit ad illius titulum: quibus quidem in casibus resignatio prohibetur admitti, nisi emissa professione; idque exprimitur in supplicatione cum clausula, aut de consensu Superioris infra duos menses ante professionem emittendam, nec alijs intelligatur effectum sortiri, nisi sequuta professione vigore eiusdem Canon. 16. quomobrem beneficium resignatum, ita Episcopus alteri conferri nequit, nisi emissa professione, ex eiusdem Congregationis sententia, cuius est testis idem Parif. inibi num. 7. ne illum pœniteat profiteri, quod contingere plerumque experimur, & inquit D. Thom. 2. 2. quæst. vltim. artic. 1. & Nauarr. in cap. cui portio 12. qu. 1. princip. post num. 9.

RESOLVT. CCLVII.

- 1 Nouitius si decedat infra annum probationis habetur pro professo.
2 Animi destinatio habetur pro completo.
3 Nouitius largo modo dicitur Religiosus.

Nouitius decedens infra annū probationis, An habeatur pro professo ad hoc ut eius bona sint Monasterij.

- 1 **E**X communi Doctor. opinione testatur Dec. in cap. in præsentia, n. 73. vers. nono quaritur, de probat. quod si nouitius decedat infra annum probationis, quia habetur pro professo; eius bona monasterij sunt, sequuntur Gabriel conclus. 12. nu. 13. de præsumpt. Lup. in rubr. de donat. inter vir. & vxor. §. 38. n. 7. Gratian. decis. Rotæ Marchiæ 35. n. 13. quia cum iam ingressus fuerit religionem, ista animi destinatio, quæ deprehenditur ex actu inchoato, etiam non finito, habetur pro opere perfecto, & consummato, licet casu fortuito non peruenit ad effectum, vel ex aliquo alio impedimento, l. cum quidam, & leg. si non sunt, §. infectis, ff. de aur. & argent. legat. sicque de nouitio ingreſſo monasteriorum concludit Ancharan. conf. 69. nu. 8. Mandos. de priuileg. ad instar glos. 10. num. 24. Franch. in c. cū nullus, in fin. & ibi Anchar. etiam in fin. de tempor. ordinat. nam sufficit, ut qui in loco possit moram trahere, ut sic iudicetur tanquam de perpetuo, & professo, ut notant Doctor. in cap. fin. de rescript. in 6. & sufficere debet, quod non mutauerit voluntatem, & conferunt latè considerata per Nouarium lib. 1. qu. forens. cap. 40. ubi probauit legatum sub conditione, quod efficiatur Sacerdos, transmitti ad hæredes, si legatarius morte præuentus, non peruenit ad Sacerdotium, quasi quod per ipsum non steterit.

3 Tanto fortius, quia largo modo Nouitius intra annum probationis dicitur Religiosus, & professus, cap. 10. de stat. Monachor. Rebuff. in praxi benefic. in tit. de dispensat. cum Regularibus facta n. 23. ubi ex hoc infert per Apost. Cancellariam nouitium vocari Monachum, & Canonicum regularem apponendo post salutationem in principio Bullæ Religionis zelus ac fi

KK 3 pro-

professus esset: quia praesumitur illum velle continuare religionis propositum. Bene verum totum contrarium in puncto principali tenet Tiraq. de retract. lignaer §. 1. gl. 8. num. 36. pro quo faciunt adducta per nos in praxi resol. 138. par. 2.

RESOLVT. CCLVIII.

- 1 *Novitii non veniunt appellatione subditorum Regularium.*
- 2 *Novitii non possunt ordinari ab eorum Abbatibus.*
- 3 *Abbatibus ordinando Novitios incurrunt suspensionem.*

Novitij an ordinari possint ab eorum Abbatibus.

- 1 **S**upposita illa opinione quod Novitij intra annum probationis possint ordinari, ut probat Rodriq. q. regular. tom. 1. quaest. 13. cap. 4. qui cum Turrecrem. dat intellectum text. in cap. in monasterijs 19. quaest. 3. Cum Novitij non veniant appellatione subditorum Regularium, quia possunt retrogredi infra annum, ut considerat eruditè quidem Nouarius in suo opusculo iuris Pontificij noui, conclus. 5. sub num. 6. de ordinibus. Ideo non possunt recipere ordines ab eorum Abbatibus, sed tenentur recipere ab illo Episcopo in cuius diocesi existit monasterium quod incolunt, ut post alios notarunt Miranda in manuali Prælat. q. 38. art. 9. conclus. 2. Henric. in summa lib. 10. c. 23. §. 3. lit. G. Sanchez in Decal. lib. 4. num. 20. in fin. Nald. in sua summa in verbo Ordo, ubi quod re vera Episcopus loci, in quo Novitius est in probatione, dicitur eius Ordinarius, & ideo ipse eum ordinare debet, vel litteras dimissoriales concedere.
- 3 **A**mplia, ut ordinantes huiusmodi Novitio incurrant suspensionem comminatum in Conc. Trid. sess. 23. c. 10. de rector. ut per Maiol. de irregular. lib. 4. c. 2. sub num. 11. & licet contrarium voluerit Sayr. in thesaur. cas. conscientiae lib. 4. cap. 13. num. 5. tamen contra illum recentior docet Nouarius in dicto opusculo iuris Canonici citat. conclus. 5. num. 7.

RESOLVT. CCLIX.

- 1 *Regularis absoluitur à suo Prælo, quando alterum regularem offendit.*
- 2 *Abbas venit appellatione monachorum in favorabilibus.*

Novitius ab excommunicatione ob Clerici percussione incurra a quo fit absolvendus.

- 1 **Q**uando regularis verberat Regularem eiusdem Monasterij, absolui potest à suo Prælo, cap. monachi, & cap. cum illorum, de sent. excommun. si vero percusserit Clericum secularem absoluetur ab Episcopo cap. Religioso, de sent. excommun. lib. 6. quod si percusserit regularem alterius claustrum absoluetur per Prælatus proprium, & Prælatus eius, qui passus est iniuriam, cap. cum illorum, de sent. excommun. Quod secundum Doctores, allatos, ita debet intelligi, nimirum quod Prælatus illius qui percussit, iuramentum recipiet, & absoluet, & saltem semel percutiet, ut feruetur forma consueta. Prælatus verò percussus ipsum percussorem verberabit, quia Prælatus percussus satisfieri debet de iniuria suo subdito irrogata, & Monasterium percussoris pro percussore satisfacere non tenetur, quia delictum personæ non debet in detrimentum Monasterij redundare, argum. cap. fin. de offic. ordin. Item Clerici communiter viuantes, & sub vno tecto dormientes, & in eadem domo velcentes ab Episcopo suo absolui possunt cap. quoniam de vita, & honest. Cleric. Sic etiam Moniales percussiones se invicem, vel conuersas suas, aut Clericos, ab Episcopo absolui possunt cap. de Monialibus de sentent. excom.

mun. Item fratres S. Ioannis Hierosolymitani absolui possunt à suo Priore Sacerdote, cap. Canonica de sentent. excommun. & hæc omnia intelligi debent de percussione non enormi, quia si esset enormis tunc, nec Abbas suos Monachos, nec Episcopus prædictos absolueret, nisi in casibus, in quibus Papam adire nequeunt: sed tantum absolui possunt à Papa, cap. cum illorum, de sentent. excommun. Verum hodie Religiosi ferè omnes privilegia habent, ut etiam ab enormi absolui possint à Prælati suis, ne aliquis si ad Papam mittendi essent, occasio vagandi illis tribueretur, & quod de Monachis diximus, etiam de Prælo incidente in hunc canonem dicendum est, quantum ad absolutionem; quia caput non debet esse minus favorabile membris, & appellatione monachorum venit Abbas in materia favorabili cap. final. de verb. sign. ut notat Sylvest. verbo absoluitio §. num. 4. §. quantum. Adeo quod quamvis Novitius incidat in hunc canonem absolui poterit à Prælo Monasterij etiam intra annum probationis, quia etiam iste est persona Ecclesiastica ex glof. in cap. Religioso in verbo possit, de sent. excomm. lib. 6. & gaudet privilegio Canonis, ut ex d. cap. Religioso colligitur, & consequenter videtur, ut etiam gaudeat privilegio contentum in c. Monachi ne vagentur; quod in Novitio tanto periculosius est, quanto est infirmior, & minus expertus, & idem docet Astenfius par. 2. lib. 7. tit. 13. art. 5. q. 10. quod si religionem intra annum egrediatur remittit in eandem sententiam, nam propter favorem religionis, & sic propter temporale impedimentum absolutus fuit. Unde, & præsentare se debet ei qui alias eum absolueret, argum. cap. eos, qui de sent. excommun. lib. 6. ex summa Astenfij, ubi supra art. 5. q. 11. & Sylvest. in d. §. Nouum.

RESOLVT. CCLX.

- 1 *Moniales ante professionem propriè non dicuntur.*
- 2 *Novitius non tenetur ad observantias regulares.*
- 3 *Testamentum condere licet Novitio.*
- 4 *Novitia quando veniant sub nomine professorum.*

Excommunicatio lata contra alloquentes Moniales. An comprehendat alloquentes Novitias.

- 1 **P**ro resolutione videndum est, an Monialium appellatione comprehendantur Novitias, & prima consideratione videbatur quod non, & ratio est, quia ante professionem non dicuntur propriè Moniales, sed latè arg. cap. fin. duodecima quaest. 2. Abb. in cap. in præsentia num. 6. de probationibus. Bald. in Authentica ingressi, C. de sacros. Eccl. Hinc plura inferuntur, & primo quod Novitius non tenetur ad observantias regulares, licet ad illas sit assuefaciendus, Sylvest. in verbo religiosus, quaest. 6. Tabien. & Armil. in verbo Novitius supra. Secundo communis est omnium sententia eos ab onere persolvendi officium esse immunes, eum tantum ad religionem professi obligentur, & si Palud. contrarium affirmaverit ob id quod ex elemosynis vivant, & gaudeant privilegijs Clericorum, dicit Graff. in 1. par. lib. 2. suarum decimarum de hor. canon. cap. 1. Tertio in anno probationis habet velle, & nolle, quod non habet professus 12. quaest. 1. cap. non dicatis, de elect. in 6. cap. si religiosus, unde potest condere testamentum glof. in c. 2. de testam. cap. ult. 12. quaest. ultima in fine; quamvis non possit bonis suis renunciare, nec illa obligare etiam cum iuramento, quamvis in favorem cuiuscunque piæ causæ, sine licentia Episcopi, aut eius Vicarij, ut habetur in Conc. Trid. sess. 24. cap. 16. quod quidem Concilium nil derogavit quoad testamenti factionem, & ratio est, quia testamentum revocari potest donec morte testatoris confirmetur.

firmetur: quod nō sic est in alijs obligationibus. Quarto potest liberē ad seculum remeare, de regul. cap. statum, cap. ad Apostolicam, & cap. is qui. Quinto beneficium Ecclesiasticum Nouitij faculare non vacat cap. beneficium, de regul. in 6. Vnde Archid. ibi dicit, qui est vocandus ad eligendum, vel mittere debet procuratorem, quamuis Io. Andr. in eodem capitulo vtrunque neget, quia causa religionis ritē, & legitime abest. Sexto non alligatur statutis religionis, & ita casibus referuatis, & censuris, cum in religionis ordinem nondum admissus sit, vt dixit Azor. lib. 12. cap. 2. quæst. 10. & Henric. igitur ex his videtur quod cum Nouitia non sit verē, & incommutabiliter religioſa, c. religioſo de excommun. in 6. quod non incidat qui loquitur cum Nouitiā, cum non dicatur propriē monialis, cap. pernicioſam 18. q. 2.

4 Quare reſolutiue dici poteſt, quod Nouitia circa ea, quæ ad gratiam, & fauorem ſpectant, venit nomine profeſſæ; non tamen circa ea, quæ pertinent ad onus, & poenā. Vnde cum non poſſe loqui cum Nouitiā ſpectet ad onus, & poenā, diximus loquentem cum illa non incurrere excommunicationem. Hinc fit quod ſi aliquis acceſſit ad monaſteria monialium cum licentia loquendi cum tali moniali, deinde cum loqueretur cum illa, ex indulgentia ad ſe vocari fecit Nouitiā, & cum ea locutus eſt per horam: eo caſu dicerem, quod iſte non eſt excommunicatus, & ratio eſt, quia excommunicatio loquitur de quocunque homine accedente abſque licentia, vt loqueretur cum monialibus exemptis; ſed appellatōne monialis propriē veniunt profeſſæ, quæ degunt ſub aliqua regula d. cap. pernicioſam, ergo excluſæ Nouitiæ, cum ſimul in poenis, in quibus faciendā eſt ſtriſta interpretatio.

RESOLVT. CCLXI.

- 1 Nouitij durāte profeſſione habētur in eodē ſtatu ingreſſus.
- 2 Nouitij durante Nouitiātu poſſunt retinere beneficia.

Nouitij durante Nouitiātu tempore an retineant omnia, quæ ante ingreſſum habebant.

1 Dicendum eſt, quod exceptis caſibus, in quibus ex ſpeciali ratione habentur pro Clericis, & Eccleſiaſtica perſonæ dicuntur; in reliquis omnibus iudicantur quoad perſonæ conditionem, iuxta ſtatum in quō erant tempore ingreſſus, vt inquit Geminian. in cap. 2. num. 12. de regul. in 6. & propterea ſi erant Clerici ſæculares, & beneficiati, dixi eos retinere beneficia, & alia conſequi non prohiberi, neque teſtari de his poſuiſſent, ſi habitum non aſſumpſiſſent; & nunc ſubneſto, eos verē vniuerſorum bonorum, & feudalium retinere dominium ſequutus Martinum. Laudēſ. & Præpoſit. in cap. 1. §. ſi Clericus, ſi de feud. fuer. controuerſ. & inibi Afflic. poſtquam multa pro contraria parte conceſſerat ad num. 26. concludit inſequens relatam affirmatiuam ſententiam poſt num. 29. atque in ſpecie retineat dignitatem Regiam, inquit Alberic. in Authen. ingreſſi, num. 3. c. de ſacroſanct. Eccleſ. quinimō ſi retrocedat à religione in vita patris, aut etiam poſt illius mortem, dum tamen poſt profeſſionem, ſuccedat in maioratu, multis rationibus, & authoritatibus defendit Caldas in ſuis commentarijs ad l. 2. ſi curatorem, verſ. implorat. in integr. reſtitut. nu. 29. c. de integr. reſtitut. immō in feudis id ipſum concludit Afflic. in eodem §. Clericus num. 25. Caldas in loc. cit. num. 28. ſatis probabile videri ab HERNIA ſententia in materia ſucceſſionis feudalīs non eſſe recedendum, ſed maioratum, ſinē primogenitum inſtituere non denegatur ipſis Nouitijs, vt reſoluit Molin. de primog. Hiſpan. lib. 2. ca. 9. n. 52.

Praxis Aloyſ. Ricc. Pars IV.

RESOLVT. CCLXII.

- 1 Forma concedendi facultatem pro Nouitijs ad Regularem habitum ex Decreto Clementis VIII. reponitur.

De formula concedendi facultatem pro nouitijs ad regularem habitum recipiendis in monaſterijs, & locis deſignatis.

1 Hæc forma de qua ſupra oritur ex Decreto felicis memoriæ Papæ Clementis VIII. quod hic per extenſum, apponere libuit, & eſt vt ſequitur.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens Diuina providentia Papa VIII. Cum Regularem diſciplinam reſtituere, atque in priſtinum ſtatum reuocare maximē cuperet, regularesque omnes vitam, moresque ſuos ad rationem eius inſtituti quod quiſque profeſſus eſſet, ita componere, vt quæ ad votorum vim, habitum, ritumque communem pertinent, ea poſitiſſimum ſinguli religioſiſſimē obſeruarent; generali Decreto quod de menſe Iunijs, editum tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit Ordinum Religioſorum Superioribus, nonnullis exceptis prohibuit ne aut Nouitios recipere, aut quemquam ad profeſſionem ante admitterent, quam à Sanctitate ſua Monaſteria aliquot ad eam rem præſcripta eſſent in quibus obſeruantia vigeret, nunc verō, eadem Sanctitas ſua à locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandauerat certior facta, in inſcriptis Monaſterijs, & Conuentibus Ordinis N. præſinitum eſſe numerum, dumtaxat eorum, qui vel ipſius Monaſterii cenſibus, vel conſuetis elemoſynis, ſuſtentari ibi commodē poſſint, atque in iis omnia fideliter obſeruare, quæ ſunt cum illorum profeſſionis perfectione coniuncta nempe caſtītatis, paupertatis, & obedientiæ vota, vna cum cæteris decretis, particularibus, vel inſtituti ipſius, vel Pontificiis, etiam ad ritum, veſtitumque communem ſpectantibus, ipſo Decreto, vt ſupra edito, & promulgato, nequaquam obſtante poteſtatem ſacri Superiori eiusdem Ordinis, Nouitiatus in inſcriptis monaſterijs, & conuentibus erigendi, Nouitios, recipiendi, educandi, atque ad profeſſionem admittendi, modo tamen id ad præſcriptum inſtructionis, iuſſu ſuæ Sanctitatis editum, neque aliquo modo fiat: quoniam vero ea eſt ſuæ Sanctitatis mens, & voluntas vt in Monaſterijs, & Conuentibus ad alendos nouitios præſinitis, regularis obſeruantia perpetuō retineatur, mandat, & præcipit, vt in ipſis præſcriptus iam perſonarum numerus, in poſterum ſeruetur, nulluſque omnino ſuperior cuiuſvis conditionis, perſonarum, & nouitorum numerum augere præſumat, ea pena propoſita, vt omnibus priuatus officiis vocis actiue, & paſſiue ius omne amittat, vult denique Sanctitas ſua huiusmodi facultatem per Congregationem reformationis Apoſtolicæ hoc Decreto Secretarii manu ſubſcripto, concedi, non obſtante Decreto, vt ſupra promulgato. Datum Romæ, die &c. præſcribitur uerō numerus Sacerdotum ... Clericorum Nouitiorum Conuerſorum autem &c. N. Viſitationis, & Reformationis Apoſtolicæ Secretarius.

RESOLVT. CCLXIII.

- 1 Perquiſitio Natalium, & Morum faciendā eſt in illo qui uult ingredi Religionem.
- 2 Aetas ingredi uolentis religionem quanam ſit.
- 3 Recepti in Nouitiātu generalem confeſſionem ſacere tenentur.
- 4 Nouitii qualiter ſeparatē habitare debeant.
- 5 Inſtitutiones ſuper educatione Nouitiorum latē reponuntur.

KK 4 In-

Institutione super receptione, & educatione Nouitiorum quanam sint,

Felicis memoriae Clemens VIII. iussit edi institutiones super receptione, & educatione Nouitiorum Religiosorum Monasterijs, & Conuentibus designatis, vel designandis, quarum tenorem hic inferere libuit, & sunt quae sequuntur videlicet.

1. Primò quod attinet ad recipiendorum Nouitiorum formam, ultra diligentem perquisitionem quae habenda erit de vniuersisque natalibus corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, & praecipue eorum, qui sextum decimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno grauat, vel reddenda alicuius administrationis rationi obnoxij sunt iuxta formam Constitutionis fel. record. Sixti. V. & moderationum subsequutarum, illud etiam Superiores ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasterijs, & conuentibus ex Apostolica facultate, nouitiatus fuerint instituti in ijs ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui ex honestis parentibus natus non sit, & conditionis sacris Canonibus, summorumque Pontificum constitutionibus praescriptas non habeat iuxta decretum super forma recipiendi Nouitios die 19. Maij 1602. editum.
2. Quisque recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam mendicantium, in ea sit exactione constitutus quam eius ordinis, in quò recipietur regularia instituta, & ordinationes requirunt eam verò litterarum scientiam, caleat, aut illius addiscendi spirituales, in dubiam praeseruat, ut minores, & suis temporibus maiores ordines iuxta decreta sacri Concilij Tridentini suscipere valeat, sed si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulatuerit, & talis eruditiois expertus inueniatur fuerit in conuersorum tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria numerum referatur, ipsi autem conuersi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, & nisi saltem praecipua doctrinae Christianae Capita nouerint. Demum Superiores diligenter exquirant quo spiritu, qua mente, ac voluntate, id regulares vitae genus elegerint quem sibi finem proposuerint num zelo meliores frugis, ac perfectionis vitae, & ut Deo liberius famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut in ordinato animo ducantur, & an eorum parentum ope, & subsidio ipsorum indigenes destituantur.
3. Provideant quoque ut omnes etiam conuersi recipiendi priusquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs quibus, minus hoc incumbit de regula quam professuri sunt tribus votis essentialibus statimque regulari, & alijs cuiusque ordinis, peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur, & quia quarundem Religionum moris est, nedum conuersos ad professionem admittendos, verum, & oblatos, ut vocant recipere circa ipsorum oblatorum receptionem, vnaquaeque religio suas peculiare constitutiones specialiaque instituta obseruare teneatur.
4. Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint per generalem omnium peccatorum confessionem totius antea, & vix conscientiam discutiant, & expurgent.
5. Quod verò ad loci vniuersique Nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt professi segregatus sit, atque distinctus habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis, singuli lectuli, commodè sterna possint, in quò etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus, pro Magistro eiusque socio reperiat.
6. In eò etiam praeter alias communes commoditates aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se ipsi commune recipiant.

Oratorum insuper, seu Cappella, si commodè fieri poterit ad Nouitios in spiritualibus praesertim in carmenijs Ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus, atque munitus adsit, sin minus hortum ceteris fratribus communem recreationis tempore impediuntur ipsis verò Nouitijs ibi commorantibus, curabit magister cum loci superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monasterij officiali, vllò nunquam tempore sub quouis pretextu aditus pateat, praeterquam magistro, eiusque socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentus Superiori, si quando cumque ingredendum sibi necessario existimauerint, quò tamen casu, aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus locum assumat.

Huius loci clausura clauis apud Magistrum semper asseruetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere, si quis autem Nouitiorum quempiam alioqui voluerit magistro praesente, & non aliter alloquatur.

Nouitiorum Magistro socius, si per nouitiorum instruendum multitudinem necessarius fuerit vitae, & moribus quoad fieri poterit consimilis deputetur, qui in his, quae ad nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediate, subiectus existat, eligaturque tam Magister, quam socius per Prouinciale Capitulum per triennium ad minus onus huiusmodi subsumit, quod si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem magistrum Nouitiorum, & socij huiusmodi in his nouis locis, per Generalem, vel Prouincialem, seu Magistrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios de diffinitorum tamen, vel grauiorem aliorum Patrum consensu fieri permittatur idemque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrumque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contingerit, in cuius vel quorum locum alij consimilis subrogari debeant.

Tam nouitiorum magister, quam socius ab alijs omnibus officijs, oneribusque vacationem habeant quae nouitiorum curam, & regimen impedire valeant, ipse magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigessimum aetatis suae annum constitutus, & per decennium a professione emissam in Religione persiterit, socius verò trigessimum annum excedat, inique ambo doctrina, & quantum per superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vita etiam ante acta, & exemplo praestantes orationis praeterea, & mortificationis operibus additis prudentia, caritateque referis, non sine assiduitate graues zelum Dei cum mansuetudine praeserentes, ab omni cordis, & animi perturbatione, ita praesertim, & indignationis, quae in se, & erga alios caritatem impedire consueuerunt, quam longissime alieni, & talem denum, qui in omnibus seipsos bonum operum exemplum praebant, ut ijs, qui eorum cura subsunt illos, non tam metuant, quam reuerentur, nec illis vquam detrudere quidquam possint.

Habere etiam Magister, plenam, & absolutam potestatem circa nouitiorum institutionem, ac nouitiatus regimen, ita ut in illis, minime, Visitatoribus, ac superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis quouis colore se iungere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut nouitij omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur agnoscantque praecipue diuinae, quae digni facti sunt, vocationis praesentiam, & excellentiam quae vera sit, atque perfecta votorum sollemnium, & quem necessariam cuiusque ordinis constitutionum obseruantiam, modum in orationem, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi illicitas passionis, & vitia ad quae natura per peccatum labefacta, omni tempore prona essatque proclius, per sensum custodiam, & mortificationem cobibendi austeritatem ieiunia, & c.

eas disciplinas, conscientia, puritatem, probam illius discipulacionem Sacramentorum frequentiam confessionis presterim, atque bis saltem singulis mensibus fiat, per aperi-
tionem quotidianam motuum interiorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis, circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem, sibi à Magistro prescriptum, ac pluries, in die propriam conscientiam, unusquisque examinare contendat, ipsi autem magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur, liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorundem Nouitiorum confessiones audire.

Quotidia Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro nocturnis, diuinisque diuinis Officiis assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Nouitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur, sique semper Magistro presente, vel socio, qui multum inuigilent, ne duo ab illis commorentur disjuncti, atque eo tempore cuiusque, in quam natura ferantur propensionem scrutentur.

Non liceat eius durante Nouitiatu, & probationis tempore, una cum professis, nisi in Choro in Ecclesia tempore officiorum in processionibus, aut in cenaculo, causa refectionis immorari, nec permittitur eis professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis, cuiusque necessitatibus, quæ accidere possunt, unus ex Nouitiis ipsis ætate, moribusque promeritor deputetur, qui absente socio Magistro permittente, omnia prout opus fuerit, agat, cui etiam tanquæ custodia, & rerum leuioris momenti prouiso intra nouitiatum committi poterit.

Cum autem licet Clericorum bene instituendum cura debeat esse præcipua, conuersorum tamen, religiosa instructio non sit omittenda, quin potius equanimiter amplectenda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam cum regulam profiteantur eandem perfectam educationem, tum religioni decorum, & ornamentum, tum alijs Christi fidelibus edificationem exemplum, atque utilitatem afferre, conuersis ipsis à Clericorum nouitiatu separatus ad dormiendum locus quantum commodè fieri poterit assignari præcipitur, illi tamen hac separatione non obstante Magistro Nouitiorum, seu Superioribus monasteriorum, & Conuentuum, iuxta cuiuscunque ordinis statuta, & constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circa temporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, & commoditate de spiritualibus præsertim, de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat ad capitula, & spirituales conuersiones, per quæ magistro Nouitijs fieri solent, accessiri debeant, & in Ecclesia statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso tantum, qui non solum religiose professionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, ac diligenti examine reperi fuerint, dummodo ætatis suæ annum, quoad Clericos decimum sextum, quo verò ad conuersos vigesimum primum, excesserint ad professionem admittantur, sed qui ad conuersorum habitum recepti fuerint ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis non possint.

Superior cuiuslibet Conuentus, in quo Nouitiatu fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo unusquisque Nouitij professio registretur, illumque Nouitius professus propria manu, & duo testes, qui presentes fuerint, subscribant.

Conuersus verò litterarum, ignarus, professus in eorundem testium, qui se subscripserint præsentia, propria manu signum Crucis apponat, afferretur liber, & custodiatur in Archivis ubi scriptura ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueverunt.

Quia verò in quibusdam ordinibus filiationis vsus est receptus declaratur, quod licet decretum sit, ut Nouitius educandus, certa Monasteria, aut Conuentus designata quilibet ordo habere debet, licitum tamen sit superioribus monasteriorum, & Conuentuum huiusmodi ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est eos, quos prænaratis qualitatibus suffultos reppererint, in suorum locorum filiorum, iuxta cuiusque ordinis constitutiones adscribere, sique adscriptos, cum iuxta præsentis institutiones, & alias seruatis seruandis ad ordinem recepti fuerint, ad loca nouitiatum cum testimonialibus litteris transmittere, ubi tanquam discipulorum Conuentuum, seu Monasteriorum filijs, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in nouitiatu probari, & deinde atque ad eandem Monasteria, seu Conuentus filiationis huiusmodi remittantur in profesorio ad perfectionem, ut permissum est exerceri debebunt.

Porro ne loca huius monasterii, seu Conuentus ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut Prouincialis partes erunt numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem, circa alimentorum contributionem, si opus fuerit inire, singulis conuentibus, & monasterijs præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Nouitij iam in professorum numerum sicut præmittitur recepti melius in bono spiritu, regularisque disciplina obseruantia stabiliantur, & confirmetur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in conuentibus, aut monasterijs pro nouitijs assignatis locus adierit secundi nouitiatu, siue professoris ab ea, quæ nouitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione distinctus, & segregatus ibi collocentur, si monasterium, aut conuentus eos alere queat, sin minus in aliorum commodiorem Conuentum, aut monasterium transferantur, in quod is locus cum requisitis ad Nouitiatum supra narratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo conseruatur.

Ab hoc onere tamen ille Religiones excipiuntur, quæ suarum constitutionum, seu institutorum vigore maioris temporis cursu novos professos intra nouitiatum decimere consueverint, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationis ac Religionis magis expedire iudicauerint, quibus in locis degunt sub regulis, & modo viuendi adhuc ætiori, quam seruiant antiquiores professi, ita quod in negotijs monasteriorum, aut conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficietatem deuenierint, vel saltem per triennium post professionem: quo etiam tempore poterunt, quinimò debebunt, litterarum studiis operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum magistrum prædictum esse oportet dictum est.

Declaratur tamen, quod propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Nouitios, nisi in locis pro nouitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis prescripto, vel præscribendo.

Denique, si ille, qui inter religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alii ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum, aliquo deliquerint, seu quomodo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioreque pro modo admisse culpæ pœnas se subituros certò sciant. Dat. Romæ apud S. Petrum die 19. Martij 1603.